

tes constituit, quodque mentibus hominum a Deo naturaliter inditum est, et ab omnibus populis custoditur; §. *Jus autem*, Instit. de *Jure natur. gent. et civil.* juncto §. *Singulorum*, Instit. de *Rerum divis.* cum concordantiis. Et in hac acceptione l. I. §. *Jus gentium*, ff. de *Jus. et jure*. ad jus gentium revocatur *Religio erga Deum; Ut parentibus et patrie pareamus*; patet siquidem, talia jam præcipi per jus naturale proprie dictum, ac prout solis hominibus convenit, non autem brutis. Insuper l. II. ff. eod. ad jus gentium taliter acceptum reducitur, « ut vim atque injuriam propulsemus: » item, quod « hominem homini insidiari nefas sit, cum inter nos cognationem quamdam natura constituerit. »

32. *Et secundarium seu proprie dictum.* — Jus gentium secundarium (quod et *Jus gentium proprie dictum*, item *Jus gentium humanum* appellant, idque ad differentiam prioris) dicitur illud, quod ex naturali quidem ratione proficiscitur, non tamen simpliciter ex solo rationis instinctu nobis est inditum, sed necessitate humani convictus sic exigente, mediante discursu aliquo practico, inter omnes, vel ferme omnes gentes, ipso usu atque moribus constitutum fuit: idque vel per modum legis præceptivæ, aut prohibitivæ, sive per modum potestatis permissivæ quidquam agendi, quod consuetudine omnium, vel pene omnium gentium præcipitur, prohibetur, aut conceditur tanquam necessarium, vel utile hominibus, communem inter se societatem foventibus. Homo siquidem, cum sibi ipsi non sufficiat, sed præ omnibus aliis animalibus per totam vitam suam indigeat ope proximorum, naturaliter est animal sociale: ac proinde nonnulla ad conservandam, vel redintegrandam hanc communem inter se societatem necessaria, aut utilia, omnes propemodum gentes mutuo consensu, ipsoque usu constituerunt, quæ hac ratione ad jus gentium spectare dignoscuntur.

33. *Varia juris gentium secundarii exempla.* — Exempla hujus juris gentium secundarii, seu proprie dicti, referuntur in can. *Jus gentium*, dist. I. illis verbis: « Jus gentium est sedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captivitates, servitutes, postliminia, fœdera, paces, induciæ, legatorum non violandorum religio, conjugia inter alienigenas prohibita: hoc inde jus gentium appellatur, quia eo re omnes fere gentes utuntur. » Concordat

textus l. *Manumissiones* et l. *Ex hoc*, ff. de *Just. et jure*, ubi etiam manumissiones, discretio gentium, dominiorum distinctio, ac hujusmodi, ad jus gentium reducuntur. Talia siquidem non illico jure naturali sunt nota, nobisque a natura congenita: sed ex principiis practicis jure naturali cognitis, veluti conclusiones ex suis præmissis, per discursum practicum deducuntur esse vel necessaria, vel utilia, ad conservandam inter omnes gentes ac homines communem vitæ societatem. Mynsinger, loc. cit. n. 8 et seqq.; Pirhing in proœmio, n. 10; Vallensis §. 4 proœmii, n. 5 et alii.

34. *Jus gentium non constituit distinctam speciem inter jus naturale, et positivum humanum.* — Resp. II. Jus gentium partim refertur ad jus naturale, partim ad jus positivum humanum; per se autem speciem distinctam non facit. Ita Archidiaconus in can. *Jus autem naturale*, disp. I. n. 2; Mynsinger cit. §. *Jus naturale*, n. 14 et alii; ac sequitur ex dictis. Siquidem jus gentium primum pertinet ad jus naturale; cum illud naturalis ratio inter omnes homines constituerit, adeoque apud omnes populos peræque custodiatur. At vero jus gentium secundarium refertur ad jus positivum humanum: tum quia, quæ ad illud pertinent, non illico secundum se sunt nota, nobisque indita et congenita a natura, sed per discursum practicum derivantur primum ex jure naturali, sicut conclusiones ex principiis suis; tum quia hujusmodi jus gentium secundarium communi usu, atque moribus omnium, aut ferme omnium populorum constitutum est; unde et *Jus humanum* appellatur a Livio, lib. V. de *Urbe condita*, ut quod plurima hominum pars ubique receperit: ac proinde merito ad jus positivum humanum reducitur, juxta dicta num. 28, ubi idcirco jus gentium inter membra divisionis juris positivi humani reponitur, quod de jure gentium secundario dictum intelligatur.

35. *Solvitur instantia ex c. Jus autem*, dist. I. *Jus gentium proprie dictum, qua ratione differat a civili.* — Dices. In can. *Jus autem*, dist. I: Jus ut sic immediate dividitur in naturale, civile, ac gentium, ibi: « Jus autem aut naturale est, aut civile, aut gentium; » ergo jus gentium est species distincta a cæteris. Resp. *Jus gentium* hic supponere pro jure gentium secundario, de quo certum est quod distinguatur tum a jure naturali, utpote a quo derivatur; tum a jure

civili, utpote quod non omnibus populis commune est, sed a quolibet populo, vel civitate, ob speciales causas sibi proprium constituitur, cap. *Jus civile*, dist. I. Insuper jus gentium differt a civili ratione diversi modi, quo utrumque derivatur a jure naturali; nam ad jus gentium secundarium pertinent ea, quæ derivantur a jure naturali veluti conclusiones practicæ ex suis principiis: econtra ad jus civile spectant particulares illæ determinationes, quæ conformiter juri naturali, secundum diversam locorum, temporum, aliarumque circumstantiarum exigentiam, ab unaquaque civitate, regno, vel provincia, fiunt ad propriam suorum subditorum utilitatem, sive commodum. Ex his tamen non sequitur, neque in allegato textu habetur, quod jus gentium per se sit species distincta a jure positivo humano; quin imo illud continetur sub isto, velut inferius sub suo superiore. Hinc conformiter dictis disting. conseq. Ergo jus gentium (loquendo de secundario) est species distincta a jure naturali, et civili; conced. Est species distincta etiam a jure positivo humano ut sic, neg. conseq.

§ III.

DE JURE CANONICO, EJUSQUE EXCELLENTIA, ET DIVISIONE.

36. *Quid sit jus canonicum? Et seqq. usque ad n. 41.* — Queritur I. Quid sit jus canonicum? Resp. Jus canonicum est jus positivum, ex sacris canonibus (hoc est regulis ecclesiasticis) collectum, et ad recte vivendum, æternamque salutem consequendam, et justitiam in populo christiano conservandam constitutum. Ita in re communis. Nam, ut in proœmio *Decretalium* Pontifex attestatur, ideo « Lex proditur (sive aperitur, ac de novo promulgatur) ut appetitus noxius sub juris regula limitetur, per quam genus humanum, ut honeste vivat, alterum non lædat, jus suum unicuique tribuat, informatur. »

37. *Canon, quid?* — Dicitur imprimis, *Jus positivum*, utpote auctoritate humana, sive potestate ecclesiastica, beato Petro, ejusque legitimis successoribus Romanis pontificibus, divinitus concessa, constitutum. Et additur, *ex sacris Canonibus*, etc. siquidem jus canonicum, juxta nominis etymon, derivatur a græco verbo *Canon*, quod juxta Isidorum lib. VI. *Etymolog.* cap. XVI latine *Regula*

dicitur. *Regula* vero inde appellatur, quod recte ducat, sive regat, normamque recte vivendi præbeat, et quod distortum pravumque corrigat, can. 2. et 3. dist. 3. Quinimo canon per antonomasiam passim accipitur pro *Regula ecclesiastica*, ut cap. I. de *Constit.* ibi: « Canonum statuta custodiantur ab omnibus. »

38. *Jus canonicum dicitur etiam ecclesiasticum.* — Porro jus canonicum, hoc est, ex sacris canonibus, seu regulis ecclesiasticis, ad recte vivendum institutis collectum, alio nomine vocatur *Jus ecclesiasticum*. Idque tum ratione materiæ, eo quod contineat ipsas constitutiones ecclesiasticas; simulque tractet potissimum de personis, rebusque ecclesiasticis; tum ratione originis, quia nimirum auctoritate ecclesiastica constitutum fuit, et confirmatum. Appellatur quoque *Jus pontificium*, utpote per summos pontifices, Christi in terris vicarios, pro bono regimine ecclesiæ universalis, ac spirituali fidelium salute institutum, collectum, et approbatum.

39. *Et jus divinum.* — Insuper jus canonicum quandoque dicitur *Jus divinum*, prout observat Abbas cap. *Qualiter et quando*, 24, n. 3, de *Accusationib.* et communis aliorum. Patet hoc ex cap. *Nimis*, 30, de *Jurejurand.* ibi: « Nimis de jure divino quidem laici usurpare nituntur, etc. » Et clarius ex cap. *Cum de diversis*, 2, de *Privileg.* in 6, ubi statuitur, « quod ibidem (nempe apud Sedem apostolicam) de cætero, regatur, et vigeat studium juris divini et humani, canonici videlicet et civilis. » Idem agnovit quoque imperator, cujus verba cap. I, de *Juramento calumniæ* relata, sunt hæc: « Nos itaque, divinæ et humanæ legis intentione servata, decernimus, » etc., per illam intelligendo jus canonicum, et per hanc jus civile, ut patet ex contextu.

40. *Jus divinum, cur?* — Ratio autem hujus denominationis, adeo honorificæ, est: tum quia sacri canones partim instinctu, ac speciali assistentia Spiritus sancti fuerunt editi, can. *Violatores*, 25, q. 1; partim vero ex ipsis divinis Scripturis, veluti ex veritatis fontibus dimanarunt, atque ex his, veluti conclusiones ex suis principiis, deducti sunt, arg. c. *Qualiter et quando*, 24, de *Accusationib.* ubi dicitur quod « ex auctoritatibus Novi et Veteris Testamenti postea processerunt canonicæ sanctiones; » tum etiam, quia iidem sacri canones auctoritate divina constituti sunt per Ecclesiam, ipsumque Romanum

pontificem, qui non puri hominis, sed veri DEI vicem gerit in terris,» ac proinde «saceros canones non humana, sed divina potius auctoritate» constituit, ut notatur in cap. *Quanto*, 3, de *Translat. Episcop.*, juncto c. *Inter corporalia*, eod., ubi Abbas n. 5 notanter tradit, quod «factum a papa ut a vicario Dei, censetur esse factum ab ipso Deo; et quod gesta per ipsum vicarium videntur esse gesta per ipsum Dominum.» Quinimo juris canonici origo nedum a papa, sed a Christo Domino procedit. Barbosa in can. *Regula*, n. 6, dist. 3, et Franciscus Coscius in *Repet. in rubr. de Constit.* n. 93, dicens: «Quantum attinet ad jus canonicum, necesse est a Christo sumere initium,» c. *Translatio* infra eod. Quanquam, quia jus canonicum vere est jus humanum, illud nonnisi large appelletur *Jus divinum*, arg. c. *Non debet*, ut notat Abbas ib. n. 4, et Fagnanus n. 13, de *Consanguinit. et affinit.*

41. *Finis juris canonici, qualis?* — Dicitur tandem in definitione juris canonici, «ad recte vivendum, aeternamque salutem consequendam, etc.» Quibus verbis indicatur finis primarius, et principaliter intentus ipsius; nempe cultus divinus, et puritas fidei, morumque honestas in populo christiano jugiter conservanda: simulque finis ultimus, videlicet salus aeterna hominis, per observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, post hanc vitam in caelis consequenda.

42. *Magna excellentia juris canonici super jus civile.* — Quæritur II. Quanta sit excellentia scientiae juris canonici? Resp. I. Etsi juris canonici magna sit dignitas et excellentia, multumque præstet juri civili, non tamen est excellentius sacra theologia. Ita communis. Et quidem prima pars probatur in primis auctoritate; nam, ut inter alios S. Antoninus archiepiscopus Florentinus, tom. VII. *Tractatum*, tract. de *Usuris*, n. 11. loquitur: «Super omnes humanas leges est jus canonicum, quod resultat ex decretis et decretalibus et sanctorum auctoritatibus doctorum.» Deinde ex eo, quia jus canonicum habet se ad civile, ut anima ad corpus: nam jus civile intendit dirigere in bonum commune, secundum quod congruit humanae societati civiliter et temporaliter viventi, quod fieri potest per legalem justitiam, et civilem amicitiam. Jus canonicum vero intendit dirigere hominem in bonum commune, secundum quod congruit humanae societati, non solum civiliter, sed etiam christiane viventi, videlicet

per veram fidem intendendo in Deum tanquam ultimum finem suum, ad quem creatus est: quod fit per justitiam christianam, et celestem illam amicitiam quæ *charitas* appellatur, estque vinculum perfectionis, et ad quam principaliter, ultimate autem ad vitam aeternam, jus canonicum intendit hominem dirigere. Abbas in proemio primo *Decretalium*, n. 16; Fortunius Garcias, tom. I. *Tractatum*, tract. de *Ultimo fine juris canonici*, n. 19; Thomas Cananus, *Repetit.* in proemio decreti, n. 193, et seqq. et alii. Merito præfertur corpori, tanto jus canonicum est dignius civili. Accedunt dicenda inferius n. 182 et seqq. agendo de causis, atque differentiis juris canonici et civilis.

43. *Non tamen est excellentius sacra Theologia.* — Altera pars est doctoris subtilis, quæst. 3 Prologi, §. *Contra istam opinionem*, ubi docet theologiam solum esse unicam et evidentissimam scientiam, quæ sola est prima de primo subjecto, hoc est, Essentia divina, qua tali. Item tradit D. Thomas part. I, q. I, art. 3. et consentiunt non solum theologo, sed ipsi etiam canonistæ. Ratio est, quia excellentia scientiæ vel maxime desumitur ab objecto, hujusque præstantia: atqui sacra theologia longe præstantius habet objectum quam jus canonicum, ergo: min. patet ex eo quia objectum theologiæ est Deus, qua Deus est; e contra subjectum, sive objectum attributionis scientiæ juris canonici, est homo dirigibilis non solum in bonum commune, sed in Deum, ut ait Glossa in reg. II. juris in 6. *Pro expeditione*. Nam omnia, quæ traduntur in jure canonico, ordinantur ad hominem dirigendum in Deum, veluti finem ultimum, aeternamque salutem consequendam, ac proinde homo, qua taliter dirigibilis, censetur subjectum attributionis juris canonici.

44. *In promotione ad dignitates ecclesiasticas, an theologus sit præferendus canonistæ?* — Resp. II. Nihilominus, nisi agatur de promotione ad dignitates ecclesiasticas, quibus incumbit cura animarum, ac præsertim ventilatio causarum, et ampla jurisdictio, v. g. ad episcopatum, non illico theologus, cæteris paribus, est præferendus canonistæ, sed erit observanda qualitas Ecclesiae, hujusque exigentia, sive necessitas. Et quidem in locis de hæresi non suspectis, ac ubi magis versatur ventilatio causarum ecclesiasticarum, canonistæ præferendus est theologo; ut notat

S. Joannes Capistranus, tom. I *Tractatum*, tract. *Speculum conscientiae* intitulo, part. I, n. 31. post Hostiensem in cap. I, de *Consanguinit. et affinit.* inter alia dicentem, quod per solam theologiam non possit regi clerus. Abbas eod., cap. I., n. 9. de *Consanguinit. et affinit.*; Felinus in c. *Clerici*, n. 5. de *Judiciis*, et Fagnanus c. *Eam te*, n. 43, de *Ætate et qualitat. præfic.* citans insuper Joan. Andream, et cæteros doctores.

45. *In promotione ad dignitates ecclesiasticas, an theologus sit præferendus canonistæ?* — Cæterum in locis, ubi pullulant hæreses, aut hæretici sunt vicini, præferendum esse theologum censent Felinus, et Abbas loc. cit. Idque probant ex c. *In causis*, 30, § final. de *Elect.* ubi in episcopo requiritur, quod ejus persona sit utilis et necessaria ad regimen talis Ecclesiae, simulque idonea tam scientia litterarum, quam suæ conversationis exemplo, ad hæreticorum perfidiam de sua diocesi extirpandam: atqui ad hæreses extirpandas magis idonea censetur scientia theologica quam canonica. Si tamen adesset mixtum, qui nimirum foret et theologus et canonista, hic præferendus foret: nam mixtum, utpote habens qualitates utriusque simul, foret excellentius; et talis simul et præesse Ecclesiae propter scientiam juris canonici, et prodesse ad hæresum extirpationem propter scientiam theologiam valeret, arg. c. *Ex parte*, 8. de *Cleric. non resident.* juncto c. *Officii*, 38. de *Elect.*

46. — *Sententia S. Joannis Capistrani circa hoc.* — Verum S. Joannes Capistranus cit. n. 31. post Hostiensem arbitratur, etiam in secundo casu, seu concurrente puro theologo et puro canonista, præferendum esse canonistam. Idque inter alia ex eo probat: quia canonista est mixtus, et mixtum est præferendum per rationes et jura jam allegata; canonista enim, hoc ipso quod talis sit, præter notitiam ventilandi alias causas ecclesiasticas in judiciis, etiam habet scientiam competentem de summa Trinitate, et fide catholica, ac de hæreticis, et de processu judiciario contra istos formando: simulque satis est, quod circa hæc habeat scientiam competentem: quia competens scientia tolleratur in praelato, licet eminens exoptetur, c. *Nisi cum pridem*, 5 de *Renuntiati.*, etc. *Cum nobis* 19. de *Elect.*, etc. *Venerabilis*, 37. de *Præbend.* E contra vero purus theologus nullam penitus haberet notitiam ventilandi judicialiter causas ecclesiasticas, aut pro-

cedendi contra hæreticos, et per hoc patet responsio ad rationes in oppositum. (ADNOTATIO I. *Ad calcem hujus volum.*)

47. — *Jus canonicum dividitur in scriptum, et non scriptum.* — Quæritur III. Quomodo dividatur, et ex quibus constituatur jus canonicum? Resp. I. Jus canonicum prima sui divisione dividitur in *scriptum* et *non scriptum*, can. *Ecclesiasticarum*, dist. II. Quia enim, ut can. *Jus generale*, dist. I, notatur, «omne jus legibus, et moribus constat,» (hoc est, constitutionibus scriptis, aut consuetudine, quæ *Jus non scriptum* appellatur §. *Ex non scripto*. Instit. de *Jure nat. gent. civil.*) non solum jus civile, sed et canonicum, merito in *scriptum*, et *non scriptum* dividitur.

48. *In commune et speciale.* — Alia juris canonici divisio est in jus commune, et in speciale. *Jus canonicum commune* dicitur, quod pro universa Ecclesia latum est, sicque obligat quoslibet fideles. *Speciale* vero, quod pro certo loco, provincia, diocesi, vel communitate latum fuit, ac proinde extra fines ipsius non obligat: ut sunt diversæ constitutiones synodales diocesum, aut provinciarum. Tholosanus lib. I part. *Juris canon.*, tit. II, cap. 14.

49. *In redactum in corpus juris canonici, et extra illud vagans.* — Rursus jus commune canonicum subdividitur in illud, quod legitima auctoritate in corpus juris canonici translatum fuit: et hoc per *jus canonicum* absolute prolatum communiter intelligitur, atque speciali ratione *jus commune* appellatur in c. *Pastoralis* 8. de *Fide instrument.* de quo, ejusque partibus ex professo dicetur in progressu. Item in illud, quod extra corpus juris canonici continetur, et vagatur: ut sunt varia decreta conciliorum generalium, ac præsertim concilii Tridentini; item quamplures decretales summorum pontificum, quæ corpori juris canonici necdum sunt insertæ.

50. *Jus canonicum scriptum, ex quibus fuerit desumptum.* — Resp. II. Jus canonicum *scriptum* constituitur atque desumptum est partim jure divino, et sacra Scriptura Veteris atque Novi Testamenti; partim ex decretis conciliorum auctoritate pontificia confirmatorum; partim ex diversis rescriptis, et constitutionibus summorum pontificum; ex placitis, sive legibus principum sæcularium; atque etiam ex sententiis sanctorum Patrum: at vero jus canonicum *non scriptum* continet traditiones, et laudabiles consuetudines ec-

PROCEMIUM.

eclesiasticas. Ita communis; et patet tum ex *can. Ecclesiasticarum*, et seqq. dist. II; tum *can. Apostolicis*, et seqq. dist. XII; tum ex ipso contextu totius juris canonici. Veram pro exactiori juris canonici intelligentiam.

§. IV.

DE ORIGINE, ET PARTIBUS JURIS CANONICI.

51. *Primaria juris canonici origo refundenda est in Deum.* — Queritur I. A quo, vel quibus, suam originem desumpsit jus canonicum? Resp. I. Loquendo de primaria juris canonici origine hæc merito refunditur in supremum legislatorem Deum ter Opt. Max. utpote a quo bona cuncta procedunt, quique primus præcepta Decalogi, aliasque recte vivendi regulas in sacris Litteris humano generi tradere, atque præcipere dignatus fuit: ut est illud lumine naturali notum, et *Tob. cap. iv. 16.* repetitum: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: et *Matth. vii. 12.* *Omnis quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et hoc facite illis: hæc est enim lex, et propheta.* Hæc enim, et alia hujusmodi præcepta divina, jus canonicum circa materias singulares, atque hypotheses speciales, ad rectam populi christiani gubernationem latius exponere satagit: declarando simul, quando, et qualiter in singulis factis, contra ejusmodi præcepta peccetur; et statuendo etiam, ubi opus videbitur, debitas intransgressores poenas, eo quod plures æternarum gravitas, quam Dei timor arcere soleat a voluntate peccandi, prout notatur in Extravag. *Cum detestabile, de Simonia.*

52. *Qui est causa primaria, remota tamen ac mediata, juris canonici.* — Et quidem, quod Deus sit causa primaria, sive principalis, remota tamen et mediata, juris canonici promulgans jura per Romanos pontifices, tradit Abbas Panormitanus in cit. proœmio primo *Decretalium* n. 18; Franciscus Coscius Senensis *Repetit. in Rubric. de Constitut.* n. 93. dicens: « Quantum attinet ad jus canonicum, necesse est a Christo sumere initium, cap. *Translatio, de Constitut.* et successive a papa et successoribus. » Card. Tuschus, lit. I, concl. 577, dicens: « A Spiritu sancto processit jus canonicum, » *can. Si quis diaconus.* dist. 50; Calderinus, cap. *Naviganti.* n. 17, *de Usuris*, et alii. Nec obstat, quod ea, quæ Deus præcepit, spectent ad jus naturale, vel divinum.

Nam sequitur, quod Deus non sit auctor proximus et immediatus juris canonici, sed mediatum dumtaxat et primarium.

53. *Proxima vero, ac immediata causa efficiens ipsius, fuerunt sancti Apostoli, summi pontifices, et concilia.* Et num. seqq. — Resp. II. Loquendo de causa efficiente propinqua, et immediate juris canonici, illud jam incepit ab exordio nascentis Ecclesiæ, et sumpsit initium ab ipsi. sanctis Apostolis, crevitque successu temporis paulatim additis diversis conciliorum, tum generalium, tum provincialium decretis, atque constitutionibus per summos pontifices pro exigentia negotiorum ecclesiasticorum, et bono regimine totius Ecclesiæ successive editis, vel approbatis, donec tandem in eam, quam nunchabet, formam redactum est. Ita certa, et communis doctorum, ac patet inductione. Primo siquidem sancti Apostoli, veluti pastores et rectores Ecclesiæ, ex instinctu Spiritus sancti plura statuerunt ad rectam, et christianam universalem Ecclesiæ gubernationem deservientia; quæ continentur partim in sacris Litteris; ut de bigamis non ordinandis, *I Timoth. iii.*; de abstinentia a sanguine, et suffocato, *Act. xv.*; quod mulieres debeant velare caput suum *I Cor. xi. 5, 6.* et hujusmodi. Partim habentur in canonibus per eosdem sanctos Apostolos sancitis, et postmodum per S. Clementem I. Romanum pontificem, quondam S. Petri apostoli discipulum, in unum congestis, qui idcirco proprio nomine *Canones Apostolorum* nuncupantur, atque referuntur ad finem *Decreti Gratiani*; partim vero constant per *Traditiones apostolicas*, quæ ab Apostolis pro bono totius Ecclesiæ ex assistentia Spiritus sancti institutæ fuerunt, non tamen scriptis comprehensæ: ut tenetur de jejuniis quadragesimali, de quatuor anni temporibus, et de nonnullis legitimam sacramentorum administrationem concernentibus, juxta illud sancti Pauli, *I Corinth. xi. 34.* *Cætera autem, cum venero, disponam.*

54. *Quatuor concilia œcumenica, ut quatuor Evangelia veneranda; et quæ sint?* — Deinde post mortem sanctorum Apostolorum, S. Clemens I, circa annum Domini 91; et S. Anacleus I, circa annum Domini 100, aliique successores Romani pontifices, plura scripserunt, et statuerunt pro bono regimine Ecclesiæ, utilitate fidelium, quæ passim citantur in *Decreto Gratiani*, atque per extensum referuntur tom. I *Conciliorum*. Successerunt

§ IV. DE ORIGINE ET PARTIBUS JURIS CANONICI.

plura concilia generalia, et præsertim illa quatuor œcumenica, videlicet Nicænum I trecentorum decem et octo Patrum, celebratum anno Domini 325, sub S. Sylvestro papa I; Constantinopolitanum centum quinquaginta Patrum, anno 382, sub S. Damaso papa I; Ephesinum I, anno 431, sub S. Cælestino papa I; et Calcedonense, anno 451, sub S. Leone papa I. Quæ quidem quatuor concilia principalia, sicut quatuor Evangelia, suscipit, ac veneratur S. Gregorius papa, relatus *can. Sicut Sancti.* dist. 15. Imo tota Ecclesia catholica, c. *Post translationem § Verum, de renuntiat.* Quin et imperator Justinianus, Novella 131, *De ecclesiasticis titulis*, collat. ix. sic de ipsis protestatur: « Prædictarum enim quatuor synodorum dogmata, sicut sanctas Scripturas accipimus, et regulas sicut leges observamus. » His accedunt plura alia concilia, tum generalia, tum provincialia, de quibus fit mentio in *can. Quoniam*, et seqq. ac fusius *can. Prima*, dist. 16. et in tomis *Conciliorum*: item ea, quæ per Leonem IV approbata leguntur in *can. de Libellis*, dist. 20. Porro de constitutionibus summorum pontificum, eorumque decretalibus epistolis, ex quibus in unum compilatis Corpus juris canonici majori ex parte constat, sicut et de sacro œcumenico concilio Tridentino, aliisque pontificiis decretis, superfluum foret hoc loco plura dicere, cum de eisdem frequens futura sit mentio in progressu.

55. *Primi collectores sacrorum canonum, qui?* — Resp. III. Multiplicatis jam canonibus conciliorum, et summorum pontificum decretalibus epistolis, plures successive fuerunt viri clarissimi, qui eisdem privato labore, ne diutius extra unum corpus decretorum incerti vagarentur, in unum volumen colligere studuerunt. Et quidem perantiqua, et olim usitata collectio, videtur illa fuisse, de qua fit mentio in *can. Si Romanorum*, dist. 19. atque ibidem appellatur *Codex canonum*. Deinde ex privatis collectoribus, qui multo plura congerere studuerunt, pervetustus est Isidorus, cujus collectio juxta ordinem temporis, quo singula decreta emanaverant, absque alio rerum ordine, facta protenditur a canonibus apostolorum usque ad concilium Hispalense secundum, circa annum Domini 630 celebratum. Secuti postmodum sunt Burchardus, Wormaciensis episcopus, et Ivo episcopus Carnotensis; item Gregorius, Anselmus, Deusdedit cardinalis, et Gregorius presbyter, atque nonnulli alii viri gravissimi, qui in colli-

gendis sacris canonibus, et decretis præclarissime gesserunt, suamque operam fructuosissime exercuerunt: prout notatur in admonitione ad lectorem, *Decreto Gratiani* præfixa, licet Hostiensis in Præfatione ad *Summam* alio nonnihil ratione. collectores decretorum enumeret.

56. *Decretum Gratiani, quando compilatum?* — His omnibus tandem successit Gratianus, monachus S. Felicis Bononiensis, Ordinis divi Benedicti, qui *Decretum*, ab ejusdem nomine *Gratiani* intitulatum, in dicto monasterio compilavit anno Domini 1151, tempore Eugenii papæ III; illudque ex variis sacre Scripturæ sententiis, conciliorum decretis, atque constitutionibus et decretalibus epistolis summorum pontificum, legibus imperatorum, non selectissimis sanctorum Patrum sententiis, juxta exactum rerum, atque causarum ordinem in unum volumen collectis, composuit. Et hoc quidem in plerisque vetustis hujus collectionis exemplaribus absolute inscribitur: *Concordia discordantium canonum, sine ulla Gratiani mentione.* Verum de facto communiter prænotatur, atque a suo auctore appellatur *Decretum Gratiani*.

57. *Ejusque emendatio sub Gregorio XIII facta.* — Quia vero longum illud, ac perdifficile opus, publicæque cæterorum utilitatis plurimum deserviens, mendis et testimoniis depravationibus admodum scatebat; quod acciderat vel ob incuriam librariorum successive commissam, vel quia ipsemet Gratianus testimonia ex depravatis jam codicibus deprompserat, aut ut homo nonnulla minus bene viderat, hinc ne hujusce utilissimi et gravissimi voluminis vacillaret auctoritas, placuit primum Pio IV, et postea B. Pio V, ac tandem Gregorio XIII, Romanis pontificibus, ut selectis ad hoc negotium quibusdam sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, aliisque adhibitis viris eruditissimis, eidem corrigendo summa opera daretur, ac vetustissimis codicibus undique conquisitis, auctoribusque ipsis, quorum testimoniis usus fuerat Gratianus, perlectis, mendæ librariorum tollerentur, et capita quæcumque suis fontibus quam diligentissime restituerentur. Et hoc quidem negotium ob varia impedimenta prius nonnihil retardatum, tandem adhibitis summis laboribus sub eodem pontifice feliciter absolutum fuit, atque perfectum, jussitque postmodum idem Gregorius XIII, « ut quæ emendata, et reposita sunt, omnia quam diligentissime retineantur, ita ut nihil addatur, im-